

531.

Kaiser Friedrich I. erkaufte vom Landgrafen Ludwig III. mehrere Güter zur Verbesserung der Einkünfte des bei der Kapelle auf seinem Schlosse Boyneburg angestellten Pfarrers. — Zeugen: Landgraf Ludwig und dessen Bruder Pfalzgraf Hermann. 1188 Juni 3.

5 *Gedr.: Kuchenbecker, Von den hessischen Erbhofämtern Beil. S. 4. (Nach einem Transsumpt K. Maximilians I.) Stumpf 4492.*

Fridericus dei gracia Romanorum imperator augustus. Ea, que divinis ministeriis ecclesie sunt donacione dicata, ut ab omni posteritatis calumnia defendantur, expedit literarum memorie commendari et, ne transeunte hominum generatione facti veritas eli-
 10 datur, scripti testimonio roborari. Hoc sane intuitu notum fieri cupimus tam futuris quam modernis, quod nos beate et gloriose semper virgini genetrici dei Marie et sancto Petro apostolorum principi obtulimus ad sustentacionem sacerdotis capelle in castro nostro Bomeneborgh omnem partem predii, quod emimus a dilecto nostro Ludewico lantgravio Thuringie, quam scilicet predii huius partem tempore dedicacionis eiusdem capelle in
 15 usibus nostris habuimus, cum omni iure et integritate ac libertate possidendam, qua nos bona illa possedimus, cum ad usus capellani traderemus. In hoc etiam utilitati et quieti capellani consulentes, quod bona ipsa nulli unquam advocato debeant esse subiecta aut ullatenus obnoxia, imperator tamen Romanus aut rex ea defendere debeat, sed alii hoc in beneficio dare non possit, nec aliquid iure advocatie de bonis eisdem exigit nec exigi
 20 permittat. Ut autem veritas melius elucescat, quidquid ad redditus nostros pertinebat in villa Tattenrode, capellam videlicet cum omnibus suis attinentiis in Gertentale, in Kirchperg, in Rateshagen, in Veldricheshusen, in Alboldeshusen, in Rorenriet, tertiam partem silve in Bilnirst. Hec bona scilicet cum hominibus attinentibus et omni utilitate contulimus beate Marie et sancto Petro ad usum capellani in Bomeneborgh eo tenore ac re-
 25 spectu, ut capellanus hac exteriori consolacione adiutus in ipsa capella deo cottidie deservire et castellanis divina debeat officia celebrare, sed nec liceat vicarium pro se ponere, nec aliquid de bonis hiis pignori obligare seu in beneficio dare vel quolibet modo alienare. Hanc igitur donacionem nostram predicte capelle et ministro eius imperiali auctoritate confirmantes, ut perpetua esse possit et inconvulsa, presentem cartulam con-
 30 scribi et impressione nostre imaginis fecimus roborari. Testes aderant. Otto Frisingensis episcopus. Bertholdus Nuenborgensis episcopus. Conradus abbas Fuldensis. Sifridus abbas Hersfeldensis. Iohannes sacri palatii cancellarius. Rudolfus prothonotarius. Ludewicus lantgravius Thuringie. Hermannus frater lantgravii palatinus comes. Gosmarus comes de Zienhain. Comes Ludevicus de Lare et comes Berengerus frater eius.
 35 Comes Anthonius de Bilstein. Albertus de Hiltenberg. Albertus de Grumpach. Almarus advocatus. Boto et Gerhardus. Reinhardus et Heinricus fratres et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCLXXXVIII, indictione VI, idibus iunii, ipso die dedicacionis eiusdem capelle.